

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo exipientes.

TRIBUS 2 BOHADSCHIA.

Dorso convexo, ventre planiore, cuti coriacea. Tentaculis 20 peltatis, duplici dispositis serie. Ano stellato pentagono.

Structura interna Bohadschiae et Mülleriae a veris non discrepant Holothuriis, quas etiam in forma externa magis quam Psoli et Cuvieriae aequant, sed sui forma radiata Pentactarum quandam offerunt analogiam.

Etiam huius tribus nullae adhuc species descriptae esse videntur.

Cum iam alii virorum de historia naturali meritorum nomina ad significanda Holothuriarum subgenera adhibuerunt, etiam Bohadschio, de Holothuriarum historia naturali meritissimo hic locum tribuere licitum censui, quamvis in ceteris haec nomenclaturae ratio memoriae obvia, et a genio linguae, quae aut phantasiae aut ingenio imaginem aliquam obiecti dare studet, aliena mihi esse videtur.

Sp. 4. *Lineolata*. Collect. Schoenl.

Septem pollices longa, subcylindrica. Caput paululum inferum. Dorsum rutilo-cinereum, lineolis innumerabilibus sulcatis, undulatis, gracillimis ornatum, quae circa pedum tres lineas longorum originem circulos formant concentricos, linearum manus instar in ultimarum phalangum superficie palmari. Venter pallidior, planiusculus, pedum frequentia dorsum haud excedens. Tentaculorum albedo-cinereorum circulus circumdatus est corii duplicatura pedum circulo ciliata. Extremitas analis rotundata, veluti inflata. Anus superus.

Nova mihi hac species ex Celebes missa esse videtur. (?)